



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. IX. Alterum memoriæ miraculum est, retinere præcepta Doctrinarum liberalium, non per imagines, instar rerum sensibilium, sed per seipsas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## V S V S.

Hunc ipse S. D. digito monstrat, tanta nimirum miracula ut consideremus, & animum nostrum aliis rebus longe præferamus.

## C A P. IX.

*Alterum memoriae miraculum est, retinere præcepta Doctrinarum liberalium, non per imagines, instar rerum sensibilium, sed per seiphas.*

1. **S**ed non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriarum mearum. Hic sunt & illa omnia, quæ de doctrinis liberalibus præcepta nondum exciderunt, quasi remota interior loco: non loca, nec eorum imagines, sed res ipsas gero. Nam quid sit literatura, quid peritia disputandi, quot genera questionum, quicquid horum scio, sic est in memoria mea, ut non retenta imagine rem foris reliquerim: aut sonuerit & præterierit, sicut vox impressa per aures vestigio, quo recolitur, quasi sonaret, cum jam non sonaret: aut sicut odor, dum transit & evanescit in ventos, olfactum afficit, unde trajicit in memoriam imaginem sui, quam reminiscendo repetamus: aut sicut cibus, qui certe in ventre jam non sapit, & tamen in memoria quasi sapit: aut sicut aliquid, quod corpore tangendo sentitur, quod etiam separatum à nobis imaginatur memoria. Ista quippe res non intromittuntur ad eam, sed earum solae imagines mira celeritate capiuntur, & miris tanquam cellis reponuntur, & mirabiliter recordando proferuntur.

N O-

## N O T A E.

Etsi S. D. admiserit species intentionales rerum corporearum tum in sensu externo, tum interno : species tamen intelligibiles scientiarum & disciplinarum, nullas agnovit, ut clare ex hoc capite colligitur. Censuit enim doctrinas liberales animo nostro insitas, & quasi naturaliter congenitas, ut de primis principiis aliqui philosophantur. Vnde conclusit eas nullis imaginibus egere, cum per seiphas intellectui praesto sint.

Durand. 3.  
d. 33. q. 1.  
ad 2. Dom.  
Soto. 1.1.  
de just. &  
jure q. 6.  
a. 1.

## C A P. X.

*Doctrinas, cum per nullum sensum possint intrare, ante in animo latuisse, esse autem necessariam alterius veluti admonitionem, ad eas eruendas.*

1. **A**T vero, cum audio tria genera esse quæstionum, an sit? quid sit? quale sit? sonorum quidem, quibus hæc verba confecta sunt, imagines teneo, & eos per auras cum strepitu transisse, ac jam non esse scio: res vero ipsas, quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi præter animum meum, & in memoria mea recondidi, non imagines earum, sed ipsas. Quæ unde ad me intraverint, dicant, si possunt. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio, qua earum ingressæ sint.

2. Quippe oculi dicunt: si coloratae sunt, nos eas nunciavimus. Aures dicunt: si sonuerunt, à nobis indicatae sunt. Nares dicunt: si oluerunt, per nos transferunt. Dicit etiam sensus gustandi: si sapor non est, nihil

Q 7

me